

Observationes medicae / [Johannes Hadrianus Saxe].

Contributors

Saxe, Johannes Hadrianus.
Rijksuniversiteit te Utrecht.

Publication/Creation

Trajecti ad Rhenum : Ap. Abrahamum a Paddenburg, 1782.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/nqd54hch>


License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>



A

I

P
18

6750/P

A I P

18

18
P
I
A

Doublet

OBSERVATIONES MEDICÆ
QUAS
ANNUENTE DEO O. M
EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI
FRANCISCI BURMANNI
FRANC. FIL. FRANC. NEP.

S. S. THEOL. DOCT. & HISTORIAE ECCLES.
PROFESSORIS ORDINARI.


NEC NON

Amplissimi SENATUS ACADEMICI *consensu, et*
Nobilissimae FACULTATIS MEDICÆ *decreto,*
PRO GRADU DOCTORATUS,
Summisque in MEDICINA Honoribus &
Privilegiis, rite ac legitime consequendis,

Die XXVI. Septembris MDCCLXXXII. H. L. Q. S.


Ad disceptandum proposuit.

IOHANNES HADRIANUS SAXE,
RHENO - TRAIECTINUS.



TRAIECTI AD RHENUM,
Ap. ABRAHAMUM à PADDENBURG,
ACADEMIAE TYPOGRAPHUM,

MDCCLXXXII



45758

Digitized by the Internet Archive
in 2018 with funding from
Wellcome Library

<https://archive.org/details/b30358371>

V I R O

ILLUSTRI, NOBILISSIMO, ET AMPLISSIMO

GUILIELMO HUYGENS,

ICTO,

AGRI HONCOOPIANI DOMINO,

URBIS AMSTELAEDAMENSIS,

BATAVORUM OCELLI,

SENATORI, & *cummaxime* CONSULI,

SOCIETATIS INDIAE ORIENTALIS PATRICIPI,

ET MODERATORI,

ACADEMIAE LUGDUNO - BATAVAE CURATORI,

REL. REL. REL.

PRUDENTIAE CIVILIS, BONARUM ARTIUM,

ET OMNIS

INCORRUPTAE ERUDITIONIS

VINDICI, ET MAECENATI,

HAS OBSERVATIONES MEDICAS

SACRAS ESSE IUBET,

SEQUE ET SUA SIMUL IN CLIENTELAM

TRADIT


IOHANNES HADRIANUS SAXE.

TIDAL

JOHANNES HADRIANUS SAKKE.



OBSERVATIONES
QUÆDAM MISCELLANÆ
MEDICÆ.



C A P U T. I.

*De vasis lymphaticis differendi
consilium.*



eminem Anatomes scientia carere posse, qui vitam & salutem hominum, quantum fieri potest, recte tueri velit, ipse veri sensus docet. Non eo autem tantum valet, ut corporis naturam, & structuram generatim cognoscas, cadavera ad vivum reseces, visceraque perscruteris, sed

A

etiam,

etiam, ut admirabilem corporis nostri fabricam, ejusque summam perfectionem in minimis particulis, omnem sæpe oculorum aciem fugientibus, pervestigas. Hinc majus operæ pretium fecerit is, qui non tam in cujusque sensus incurrentia, quam quæ recondita sunt, solertia & studio eruenda, & in lucem proferenda putaverit, sine quo investigationis studio rudis quodammodo manet nostra ars & manca, quæ tamen salutis humanæ causa ad majorem certi vim nobilitatemque perducere debet. Quam utilis vero & necessaria ad definiendas artis nostræ causas sit subtilioris anatomes scientia, hoc loco pluribus demonstrare supervacaneum puto, quod singulari studio persecutus est, clarissimisque e toto artis medicæ ambitu exemplis confirmavit Celeb. *Heisterus*, in *Dissertatione de anatomes subtilioris utilitate*, *Helmstadii* 1728, edita. In intimis vero anatomes velut recessibus locatum & reclusum esse *Systema* illud *Vasorum Lymphaticorum*, argumentum sane omnium maxime arduum, cujusque utilitas latissime patet, nemo non intelligit. Horum quidem vasorum lymphaticorum apud multos mentio fit, nec pauci extiterunt physiologi, qui eorumdem ortum, & finem subtiliter definirent, an vero omnia, quæ præceperunt, periclitationibus & experimentis approbari possint, dubitare incipio, tempusque & rerum usus suo loco docebit. Primum frustra quid earum rerum apud
vete-

veteres reperias medicos, licet multi in primis ill. *Hallerus*, & nuperrime celeb. *Hewsonus* ita opinati fuerint. Ea certe est temporum nostrorum vel credulitas, vel gloriatio, ut aut nimium, aut nihil tribuatur veterum ingenio & industriæ. Enimvero aliunde constat, ab una parte, quod nuper inventum esse dicitur, id sæpe jam a veteribus medicis recte animadversum esse, ab altera vero parte, nonnulla ad veteres referri auctores, de quibus ne illi quidem cogitare, nedum literis mandare poterant, cujus utriusque erroris cubilia in eo latent, quod non raro ipsius, quem laudant, Scriptoris locum nec inspexisse nec legisse, sed ex aliis descripta libris repetiisse visi sunt. Duo autem hæc extrema sollicite vitanda sunt, nec vanam prorsus fuisse suspicionem meam, ipsa veterum loca perlustranti apparebit. Etenim *Albertus Hallerus V. C. in Elem. Physiol. Tom. I. Lib. II. Sect. III.* ubi de *vasis lymphaticis* egit, eorum historiam descripsit, p. 157. „antiquitatem, ait, tenuia quædam hujus generis vestigia reliquisse” in libro *Hippocratico*, περὶ αἰθέρων de glandulis, quem spurium esse vult, non suo, ut reor, hac in re, sed *Galen*i, *Erotiani*, & recentiorum virorum doctorum, tanquam *Foëssi*, candide hæc animadvertentis, initio adnotationum ad hunc librum, p. 325. & *Fabricii Bibl. Græc. Lib. II. Cap. 24. §. 11. pag. 798. vol. 1.* iudicio haud dubie usus. Leguntur au-

tem, quæ huc spectant, verba in *Tom. I. Cap. I. p. 271. Oper. Hippocratis, & Galeni, Renati Charterii, Lutet. Paris. 1679. fol.*
 φύσις μὲν αὐτέοισιν ἢ σχογγῶδες αἰσθαι μὲν καὶ πίονες ψαφάραι καὶ
 φλέβας ἔχει συγχναῖς εἰδὲ διατάμοις αἰμορραγίῃ λαβρὸς τὸ εἶδος λευκὴ
 καὶ οἷον φλέγμα ἐπαφομένω.

Sed plane nego, eorum verborum quidquam ad hanc rem pertinere. Nam primum illud Hippocraticum αἰδέωνον verbum nimis commune est, quam ut sigillatim respicere possit ad hoc vasorum genus, tum id quidem verum est, multas glandulas repletas esse venis, ad tactum molles esse, humorem spissum lacti similem in se continere, sed sanguinem copiosum vasis lymphaticis effundi non dixerim, & quæ natura sit horum vasorum in glandulis simplicissimis, conglobatis, aut quæ glandulæ præcipue vasis lymphaticis memorabiles sint, illud ipsum est, de quo quæritur: denique ex libro *Hippocratis* spurio veri & certi quid ratione concludere velle, temerarium mihi esse videtur. Pace igitur *Phil. Jac. Hartmanni*, quem, ait *Hallerus*, illas *Hippocratis* voces huc traxisse, negaverim, *Hippocrati* horum vasorum disciplinam & indolem fuisse cognitam. Id unum forte ex hoc *Pseudo-Hippocratis* loco intelligi possit, *Metastasin* lacteam, sive secessum materiæ nutritiæ a sanguine in quandam corporis partem a veterum scientia non alienum fuisse.

Præte-

Præterea Guilielm. Hewson, in *Experimental Inquiries Part the second containing a Description of the Lymphatic System in the human subject &c.* London, 1774. 8. p. 4. adnot. *. scribit vasa lactea in capra observasse *Erasistratum*, eaque arterias vocasse, idque cognosci posse tradit ex *Galen. Oper. Tom. I. p. 61. ed. apud Iuntas.* Sed cum nec disputationis ipsius *Galenianæ*, ut par fuisset, nec verborum Græcorum meminerit, neque etiam addiderit, qua usus sit editione *Iuntarum* latina, (decies enim *Venetis* apud *Iuntas* descripta est,) omnis mihi via obvallata fuisset ad rei indagationem, nisi casu incidissem in *Galen. Libr. VII. Ανατομικῶν ἐγχειρήσεων* h. e. *Anatomicarum administrationum*, ubi *Cap. XVI. p. 166. 167. Tom. IV. oper. Hippocratis & Galeni ed. Renati Charterii Lut. Paris. 1679. fol.* vel editionis *Basileensis Græcæ Tom. I. p. 184.* hæc inprimis memorabilia leguntur.

ὥσπερ ὃν ἐπέγραφεν ἐπὶ τῶν νεοθηλῶν ἀλλὰ καὶ κείνου πειραθεὶς εὐρήσει
κατ' ἀρχαίς, μὲν οὖν φασὶν ἅμα τῷ γυμνασθῆναι τὸ μεσεντέριον ἀεροειδέϊς
φαίνεσθαι τὰς ἀρτηρίας ὕερον δ' ὀφθαῖναι γάλακτος πληρουμένας.

Quæ verba fortassis vasa illa lymphatica indicare possent, nisi quod discrepent ratione liquidi, quod in iis continetur, quod tamen pro vario, quo utimur, nutrimento dissimilis coloris esse videtur. Nec *Erasistratum* hæc vasa vidisse, ex hoc credibile fit loco. Loquitur hic quidem de illius doctrinæ sectatoribus, & fau-


toribus, deinde huic periclitationi fidem non habet *Galenus*. Hinc miror *Jacob. Douglassium*, in *Bibl. anatom. specim. pag. 15.* de *Erasistrato* scribere potuisse „*se totidem verbis de se ipso referre, quod vasa lactea ipsi primo apparuerint*”, illumque ipsum locum in auxilium advocare potuisse *Hewsonum*, non indicato nec *Galen*i libro, nec capite, hisque verbis usum esse. „*Erasistratum vasa lactea in boedis vidisse, uti nos docet Galenus*”, quod certe minus accurate dictum est.

Unicus adhuc superest locus, qui extat apud *Aristotelem*, Tom. I. Lib. III. Cap. 6. περί τῶν p. 802. ubi hæc leguntur:

αἰδὲ ἴνες ἐνί μεταξύ νεύρου καὶ φλεβὸς εἶναι δ' αὐτῶν ἔχουσιν ὑγρότητα τὴν τοῦ ἰχθύος.

Quæ verba *Hallerus* ad tenuioris generis vascula referri posse opinatur, quod tamen superioris capitis cum hoc instituta contentio, & cohærentia, (in priori enim actum fuerat de arteriis & venis,) meo quidem iudicio indicare non videtur. Id mihi videor intellexisse, quoad experimenta, sive pericula in ea re facta, nihil sibi vindicare potuisse antiquos, sed hanc primariam industriae laudem deberi triumviris sæculi nostri acutissimis, *Frideric. Meckelio*, *Alexandr. Monroo*, & *Guilelm. Hewsono*, quorum observationes si quis vel ulterius persequatur, vel novis corroboret, & amplificet, quin multum utilitatis uti universæ

arti Medicæ, sic inprimis morborum quorundam causis indagandis allaturus sit, nullum est dubium. Equidem hoc ipsum *vasorum lymphaticorum* argumentum auctoritate & suasu optimi Præceptoris mei, celeb. P. LUCHTMANSII, viri de me præclare meriti, pro virili explicare apud animum constitueram, neque vanam prorsus spem conceperam, fore, ut meæ me non poeniteret operæ, postquam vir illustris, PETRVS CAMPERVS, quo sane Medico, & Anatomico, ars & ætas nostra jure gloriatur, non solum viam & rationem horum vasorum injiciendorum mihi aperire non gravatus erat, sed & hujus quoque instituti gratia singulare instrumenti genus, qua solet humanitate, confici jusserat. Verumtamen Cel. præceptoris mei, cuius nota dexteritate in periclitationibus faciendis mihi opus erat, valetudo, debilitasque corporis nunc impedierat, quo minus rem coeptam ad exitum perducere possem. Attamen quod nunc fieri per rerum & temporum adjuncta non licebat, id alio loco me curaturum esse, in me recipio. Interea Animadversiones quasdam seu de *Plinio Valeriano*, veteri quodam medico, seu de Puris origine, seu de Diabetis spuriae causa proxima in medium proferre conabor, quas si persuadere potero hominibus, rei medicæ intelligentibus, admodum lætabor.



C A P U T. II.

De auctore Librorum quinque de re Medica, quem Plinium Valerianum vocant, iudicatio.

Quod Barthius jam sua ætate, X. *Advers.* XXV. p. 506. dixerat, *Plinium* quemdam Medicum tantopere vulgo ignotum esse, id etiam nunc post quatuor aut quinque ejus editiones verum esse opusculi illius raritas demonstrat. Equidem sola utor *Albani Torini*, vitudurensis, qui *C. Plinii Secundi de re Medica Libros V.* una cum *Sorani Ephesii Isagoge*, *Oribasii Fragmentis*, & aliis id genus Medicis veteribus recognovit *Basileæ*, 1528. fol. Quantum vero in fide librorum veterum de re Medica verisimiliter æstimanda ambiguitatis insit, ne quid dicam de aliis, tanquam *Sorano*, *Theodoro Prisciano*, & ceteris, id vel solo *Librorum V. de re Medica*, qui solo *C. Plinii Valeriani* nomine circumsferuntur, exemplo, clarissime apparet. Simulatque enim illi titulo *Plinianæ Medicinæ* (v. *Barth. I. Adv.* XIV. p. 31.) sub renatarum in Italia literarum tempora, *Romæ*, 1509. primum in lucem exierant,

rant, statim viri docti, verborum *Marcelli Empirici in Præfatione ad filios*, p. 242. ed. *Artis Medicæ Principum*) cui rei operam **UTERQUE PLINIUS** & *Apulejus* & *Celsus* &c. memores, per hunc *utrumque Plinium* intelligendos esse putarunt, & *Plinium*, *Historiæ Naturalis* scriptorem, & hunc *Plinium Medicum*. Præterea cum lapidis titulus *Comensis*, ab *Apiano LXXXII. 2.* evulgatus, & a *Grutero* repetitus *DCXXXV. 1.* accederet, in quo *C. Plinii Valeriani Medici* memoria occurrit, nihil plane dubitationis supererat, quin hic *Valerianus* idem esset, atque *Plinius Medicus*, illorum *librorum quinque de re Medica*, ut volunt, auctor. Hinc *Barthius I. Adv. XIV. p. 31.* eruditi, inquit, nonnulli *Plinium Valerianum* appellant, item quem alii *Valerianum*, alii *Empiricum* dicunt, *II. Adv. XIV. p. 78.* nec non ipsi est *Medicus priscus*, quem *Plinium Marcellus Empiricus* vocat, *Valerianum* vero *Pliniumque iunctim* eruditorum nonnulli, *X. Adv. XXV. p. 506.* & *Reinesius*, in *Defensione Variarum lectionum*, p. 22. *Plinium Valerianum scriptorem Librorum V. de re Medica* laudavit. Uterius progressi viri eruditi, (non enim conjectura, ubi coepit, ibi consistere solet,) eius gentem, patriam, sacrorum disciplinam, atque per hanc, ætatem, mirabili tamen opinionum inconstantia definire conati sunt. Quod ad gentem attinet, *Reinesius III. Var. Lect. C. IV. p. 989.* *familiæ illustrissimorum*

Pliniorum Cæciliorum in Veronensi, & Novo Comensi agro amplorum fundorum heredis quacunque ratione agnatum sine hæsitatione prædicat, & tamen alio loco hominem Hispanum fuisse suspicatur, II. Var. Lect. VIII. p. 180. uti Barthius, Gallum, sumit, II. Adv. XIV. p. 79. ambo tamen descriptionem ejus in Germaniæ quodam clauſtro commoratum eſſe docent (v. Barth. VI. Adv. XVII. p. 284. & Reineſius, II. Var. Lect. VIII. p. 180.) ſacrorum & cultus formula Barthio videtur eſſe ethnicus, ideoque ævi Romani, V. Adv. c. V. p. 216. L. VII. c. 8. fin. p. 328. & Lib. X. c. XXV. p. 307. Reineſio contra Chriſtianus, & Conſtantiniano ævo proximus, II. Var. Lect. VIII. quaſi certi quippiam ex locis alicujus operis, ubi plures & diverſæ ætatis confarcinatores mox interpolando, mox addendo, manus ſuas exercuerunt, elici poſſit. Neque multo certior fuit Juſti Godofredi Günzii divinatio, qui argumento illius Marcelli Empirici Præfationis ad filios, ubi Siburius quoque nominatur, hunc ipſum plane ignobilem Siburium horum de re Medica librorum auctorem edit, nullo alio, vel teſte idoneo, vel argumento diſtinctionis ſententiarumue uſus, in Libello de auctore operis de re Medica, vulgo Plinio Valeriano adſcripti, Lipſiæ, 1736. 4. Quæ quidem omnis hæc conjectura everti poſſet, ſi cum Barthio XXXIX. Adv. 16. p. 1786. 1787. aut Io. Alb. Fabricio in Elencho Veterum Medi-

*dicorum, Bibl. Græc. L. VI. c. IX. p. 423. Vol. XIII. pro Siburio legendum esse judicarem Scribonium, quoniam nusquam a libi hujus Siburii fit mentio, & Scribonium Largum non tam Claudii imperatoris ævo, quam paulo ante Marcelli Empirici ætatem Compositiones suas scripsisse Barthius opinatur. Quomocunque vero hæc omnia existimentur, non multum tamen facti sumus certiores, quam dudum, quis verus librorum auctor, Pliniine Secundi, aut Plinii Valeriani nomen reapse habuerit, an sibi utrumlibet injuria adsciverit, vel ab aliis inditum, ad posteritatem tulerit: adhæc æque obscurum est, qualis ejusmodi librorum titulus fuerit, *Plinianæ Medicinæ*, an *de re Medica*, an *de parabili Medicina*. Prima editio sub *Plinianæ Medicinæ* Epigraphe prodiit, teste Barthio I. Adv. XIV. p. 31. qui hanc unicam habuit: *Torinus, de re Medica* Libros V. exhibet. Barthius, loco modo ante laudato, *libros eius*, ait, exemplo *Dioscoridis* *Ευπορίων* inscribere possimus, unde *Reinesius* eius libros *de Parabili Medicina* inscribendos esse censet. II. Var. Lect. VIII. & III. Var. Lect. IV. & I. A. Fabricius totum hoc opus *Ευπορίων*, hoc est facile *parabilium Medicamentorum* vocat *Bibl. Lat. II c. XIII.* Adeo nihil est vel in nomine auctoris, vel operis inscriptione quod certi, vel saltem verisimilitudinis legibus respondeat; præsertim cum *Albanus Torinus* ex *vetustissimo* suo codice, nescio*

quo, aut ubi superstite, nihil ad iudicandum præsidii attulerit, cujus tamen *fide ab innumeris mendarum millibus libros se repurgasse* in titulo jactat. Quo igitur iudicio, quave via & ratione hos libros legendo, recognoscendo, interpretandoue tractare nos oportet? Non alia, ut reor, nisi hac, ut statuamus, totam hanc librorum farraginem haudquaquam unius esse hominis lucifugi, sed trium quatuorue ejusmodi tenebrionum. Similia quidem suspicatus jam fuit Reinesius, *III. Var. Lect. p. 388. non de uno*, inquiens, *singulari homine quæri cogitandum est*, sed paulo post tamen *Plinii Valeriani* umbræ sic adhæsit, ut non sine quadam sententiarum repugnantia sua ipse, ut aiunt, *vineta cæderet*. Primus itaque cinni opifex pleraque trium priorum librorum *Plinio* maiori, siue Veronensi, cum pulvisculo abrasit, falsumque illis *Plinii* nomen præscripsisse videtur. Unde haud difficulter ratio reddi potest, cur *Marcello* Empirico, itidem aliorum descriptori, & critica facultate destituto, *uterque Plinius* in mentem veniret, genuinus quippe *Plinius* major, *Historiæ Naturalis* auctor, & hic *Pseudo-Plinius*, qui merces suas sub illustri *Pliniorum* nomine exposuerat.

Neque enim verba *Marcelli*: *cui rei operam uterque Plinius, & Apulejus, & Celsus, & Apollinaris, & Designatianus*, sic trajicere cum *Barthio*, *XXXIX. Adv. XV. p. 1786.* est opus: cui

rei operam Plinius, & uterque Apulejus, & Celsus &c. & cur tota illa Sylloge sensim paulatimque *Plinianæ Medicinæ* titulum, ut in editione Romana, abstulerit. Alter fortassis paulo senioris ætatis Grammatista, hunc, si Diis placet, *Plinium* denuo recognovit, & plures superiori velut vesti lacinias assuere conatus est. Quæ diversitas ætatis quasdam subinde vel gentilis, vel Christiani hominis notas, & signa progenerare potuit. Tertius, librum IV. addens, nonnulla de plantis e *Galeno* potissimum corrasit. Quartus denique plagiarius, Libri V. auctor, *Alexandro Tralliano* recentior esse videtur, quandoquidem ex hoc ipso sæculi VI. post C. N. Medico hanc præcipue partem furto ad se avertit, quæ est, *de Dieta* morbis sanandis propria, quod nostra ætate valde probabili inuento primus detexit V. C. *Iob. Gottlob. Schneiderus*, bonarum literarum Professor Viadro-Francofurtanus, teste eius annotatione ad *Oppianum*, p. 383. testibusque eius schedis, quas ad parandam aliquando, si tempus & facultas tulerit, huius Pseudo-*Plinii* editionem, mihi perquam humaniter indulsit, in quibus perpetuam ferme libri illius V. cum *Alexandro Tralliano* contentionem instituit. Propterea nollem de hac observationis præstantia, præterito *Schneideri* inventoris nomine, ill. *A. Hallerus*, sic differuisset, in *Biblioth. Practic. Tom. I. Lib. I. §. XCVII. p. 295.* & *Biblioth. Chirurg. Tom. I. Lib. I. §. XLVII. p. 103.*

ut incautus lector existimare posset, eum esse, cui reperti illius fontis laus tribui debeat.

Neque libri hujus quinti auctor *Alexandro* duntaxat *Tralliano*, sed ipso ejus barbaro interprete, quem *Constantinum*, Africanum Medicum, circa 1080. clarum, esse volunt, recentior esse videtur, quoniam idem Cl. *Schneiderus* animadvertere visus est, latinitatem Pseudo-*Pliniani* libri V. cum barbara versione *Alexandri Tralliani*, sub titulo *Alexandri Tatros Practicæ Lugd. 1504. 4.* typis excusa, & admodum rara hodie, multum necessitudinis habere.

Quæ cum ita sint, facile intelligitur, quomodo rudis olim aliquis Monachus hæc omnia absque judicio describens, diversas ætatis & hominum lucubrationes in unam *Plinii*, nescio cujus, vannum compingere potuerit, quantaque cautione & prudentia futuro editori opus sit, si uniuscuiusque horum librorum auctoris verba & sententias in integrum restituere velit.

C A P U T. III.

De Puris Generatione.

Quod argumentum ut accurate subtiliterque intelligatur, meum erit, primo demonstrare, quidnam illud sit, quod puris nomine venit, deinde criteria nonnulla afferre, quæ pus a crasso & flavo muco, cum quo sæpissime confunditur, secernant, tandem ipsam puris originem, & generationem ostendere.

Tenax, subalbidus, spissus, aquæ miscibilis humor & qui fundum petit *pus* vocatur, videatur *Ioann. Grashufius in Diss. de generatione puris Amstel. 1747. Cap. I.* id tamen quod fundum petere dicam non ita intelligendum esse velim ac si hoc pus a reliquis corporis humoribus distingueret. Vir enim egregius *Christ. Frider. Michaëlis* in perquam eximio eius *de angina polyposa siue membranacea* libro *Gotting. 1778. p. 101.* animadvertit non pus modo, sed etiam mucum ab organis inflammatis secretum, in aqua fundum non raro petere, actioque illa corporis, qua talis materia, *pus* dicta, gignitur, *suppuratio* appellatur: pinguem & adiposam esse puris materiem opinantur nonnulli, uti antea

memo.

memoratus *Joann. Grashufius* p. 24. & *Gerard. Swieten* in *Comment. ad aphor. Boerhav. Tom. I. p. 656. & 695.* Cui opinioni illud refragari videtur in cerebro & pulmone quandoque pus inesse, sed nullus ibidem adeps, illudque saltem ratione concludere iusserit observatio *Halleri* in eius *opusc. Pathol. obs. XV.* ubi indicat se in puero quodam reperisse pulmonem plenum exiguis purulentis, grandinosis abscessibus, inter quos latæ vesiculæ, aëre solo plenæ erant, & ipse hac observatione argumento ad demonstrandum usus est, puris materiem adipem non constituere. *Nam „ inquit” pulmones & cerebrum quod sæpe suppuratur & hepar, cuius maximos abscessus & ego vidi & alii anatomici sæpe reperiunt, ab omni adipe libera sunt.*

Pus autem a crasso & flavo muco distinctum esse, nonnulla criteria ostendunt, quæ tamen utrum omni dubio ac difficultate careant, affirmare non ausim, equidem id fateri cogor, valde dubitari posse, utrum illud, quod pro pure habent, re vera tale semper fuerit. Ita sæpissime in fistula lacrymali de sacci suppuratione medici cogitant, si mucus, ob partium fecernentium inflammationem, puriformis, ex punctis lacrymalibus exprimitur, sic sæpe lithothomiam instituere recusantes videmus chirurgos, quia mucum tenacem, virescentem, abunde ex inflammata vesica profluentem, pro veræ suppurationis indicio habent,

&

& certe ipse supra laudatus *Crist. Frider. Michaëlis* nonnullos fuisse testatur, qui omnem gonorrhæam virulentam in suppurationem transire arbitrarentur, quia humorem ex urethra effluentem verum pus esse frustra crediderant, narratque contra simul eiusdem materiæ stillicidium arte, paucarum horarum spatio, produci posse, vid. eum p. 100, affirmare tamen simul non auderem, nonnullos tanti nominis in arte viros ita deceptos fuisse, quasi tale quid ipsis non perspectum & cognitum foret, purisque materiem a muco distinguere negligerent. Experimenta autem, quibus unice dirimi controversia posset, eo spectant, ut verum pus igni admotum ardeat, mucus flammam non concipiat, pus perfecte cum aqua commisceri se patiatur, & colore æqualiter albo illam tingat, mucus autem numquam perfecte aquæ misceri possit, ita ut semper fibræ, solutionis expertes remaneant, mucus digitis prehensus in fila diduci se patiatur, quod in pure non accidit, vid. omnino *Christ. Frider. Michaëlis* p. 102.

Quod denique attinet ad puris ortum & generationem, tanta est inter Viros doctos opinionum diversitas, ut profecto nescias, quamnam tueri debeas. Nonnulli in ea versantur opinione, pus prægressa semper inflammatione generari, uti sæpius laudatus *Io. Græbuius* cap. I. p. 8. existimat, suppurationem-

que fieri quando vasa rupta simul cum effuso ex ruptis liquido mutantur in liquidum spissum, tenax, albicans, ita censent *Io. Zacchar. Platner. in Instit. eius chirurg. §. 54. & Gerard. Swieten. in Comm. ad aphor. Boerhav. Tom. I. p. 230. & 657.* licet pugnantia frontibus adversis afferat ipse *Swietenius*, alio enim loco (*Tom. IV. p. 243.*) *purulentam materiem in sanguine nasci posse absque prægressa inflammatione* satis probabiliter demonstrat, hinc in diuturna puris excretionem oportere ingentem reperiri substantiæ consumptionem quod tamen observationibus nonnullis refragari docebunt quædam exempla in medium a me afferenda. Enimvero in ea versor opinione, puris originem in ipso tumore inflammato haudquaquam ponendam esse, sed in sanguine ipso quærendam, dubitarique utique posset, an crusta illa quæ sanguini inflammato, & vase excepto, inhæret, pro circumfluente in sanguine pure interdum jam habenda sit?

Nonnullæ interdum & quidem subitæ occurrunt in morbis metastases, dum subito tumor pure plenus elevatur in quibusdam corporis locis, licet nulla signa indicent alibi abscessum fuisse, cuius pus resorptum in his locis fuisset depositum, quodque ipse affirmat *Swieten. Tom. I. p. 230.* alioque in loco (*Tom. II. p. 81.*) testatur se id vidisse in muliere, febre continua laborante, & quæ, cum languesceret febris, nullaque symptomata amplius

plius adessent, subito de dolore obtuso brachii utriusque conquerebatur, cum pridie nihil mali in his partibus senserat, atque has partes intuitus, sub integumentis magnam fluctuare humoris copiam deprehendebat, aperturaque facta exierat pus, brevique consolidatus fuerat abscessus, additque simul, in toto morbi decursu nullam topicæ inflammationis vel suppurationis notam in quadam corporis parte observasse, atque hinc crederat causam materialem febris, per febrim subigi & mutari posse, ut puris analogam naturam acquirat, licet adhuc cum reliquis humoribus per vasa fluat, & deinde deponi illud pus jam factum in quædam loca corporis, non vero illud gigni in illis partibus corporis, in quibus collectum invenitur, idem quoque ait *Io. Zacchar. Platner.* qui in eius *opusc. Tom. I. p. m. 228. Diss. VII. de noxis ex cohibita suppuratione abscessus*, a causa interna exortos, ab iis, inflammatione contractis, accuratissime seiunxit, porro ex levi & angusto vulnere tanta subiinde puris copia emanat, cui neque continendo, neque præparando tumorum illorum angustia par esse possit. In femoris enim ulcere, ex scabie, intempestive repressa, nato, tanta puris vis exierat, cui excipiendæ lintea quamplurima, quater per diem permutanda, vix suffecerint, uti id se observasse scribit *Ernest. Platner. in supplem. ad Io. Zacchar. Platner. Instit. Chir.*

rurg. Supplem. I. p. 40. In actis societatis Amstelodamensis servandis civibus P. II. p. 157. extat observatio adolescentis XX. annorum in thorace sinistro inter tertiam & quartam costam veram (a superiori si numeraveris) tam atrociter vulnerati, ut vulnus ad pulmones transfret, instituebatur Paracenthesis, & ex eius apertura quotidie viginti unciae puris effluxerunt, duravitque illud per plures menses. Ex hac certe observatione puris originem e ruptis vasis concludi non posse videtur. Quot enim quaeso pulmones non necessarii fuissent ad formandam illam vasorum substantiam, purisque materiem suppeditandam? extat praeterea observatio apud Io. Baptist. Morgagnum de sedib. & causis morborum Epist. V. art. 3. extravasatum sanguinem nunquam in pus converti.

*Anton. Haenius in Ration. Medend. Vol. I. p. 42. feminam curae suae commissam habebat, tanta phthisi pulmonali laborantem, ut similem spatio viginti duorum annorum se vidisse negaret, quae sputa flava, subviridia, crassa, magna, aquae salsae illico potentia fundum, copiosius excrevit, mensisque spatio die noctuque in mortem usque sputare perrexisset narrat; post mortem pulmones fani, toti, non collapsi inventi sunt, & quomodo-
cunque examinarentur, ac transcinderentur, ne vel guttulam puris, vel vomicarum vestigia exhibentes, eodemque ipso lo-*

co commemorat hydropicum fuisse, quem præter hydropem, ex sputorum qualitate & quantitate phthisicum conclamabat, hancque ob causam paracenthesin tuto fieri posse negaverat. Quæ igitur summa, quævis eius periclitationis fuit? Nempe in pulmonibus ne vel minima quidem aut vomicæ, aut puris vestigia ipsi cernere licuerat, neque dissimilis est historia hominis 34 annorum, qui in dextro ossis sacri latere mollem fluctuantemque tumorem iam a quatuor illinc mensibus gesserat ex causa minus certo determinanda, dubium enim erat utrum diathesi pulmonum purulentæ, se sputis evacuanti, metastaticeque huc delatæ, originem deberet, aperto tumore pus crassum exivit per tredecim continuos dies, post aliquod tempus alius tumor in dextro thorace mollis conspiciebatur, quum in sequentem diem aperiretur, evanuerat tumor, & colliquans diarrhœa cum sputo purulento pergente succeserat, & ex hoc jam manifestum erat ad purulentam diathesin referendum fuisse mali ortum, postea tandem obiit, & aperto cadavere in thorace pulmones inventi sunt toti, sanique, nullaque vomica reperiri potuerat vid. omnino *Haen. in rat. Med. Tom. I. p. 62, 63.* apparetque hic simul cuius antea rei jam memineram, subito metastases fieri, etiamsi signa non doceant, pus resorptum fuisse, & in hæc loca migrasse.


Aliud nonnumquam argumentum subministrant furunculi in eiusmodi hominibus, qui a variolis convalescunt, animadvertendi, quique furunculi teste *Richardo Meadio* in eius libro de *Variolis & morbillis cap. V. p. m. 346.* in insititiis variolis, quam naturalibus, frequentiores sunt, uno scilicet die nati, aucti, & si aperiantur, eodem die articulo pus fundentes. Similiter in crure, sphacelo pereunte, in quo nihil suppurabatur, simul incredibilem copiam puris pluribus dierum hebdomadibus effluxisse auctor est. *Anton. Haenius in Ration. Medend. Vol. I. Cap. XV. p. 195.* quem legere operæ pretium erit. Rursus præsto est aliud exemplum Feminae 30 annorum, innuptæ, bonæ famæ, ut idem *Haenius* scribit, a febre, qua laboraverat, liberæ, quæ cum menstruis careret, tumorem in sinistro hypochondrio animadverterat, eique junc-tam asciten, paracenthesin subiit, detumesciente inde ventre, eo manifestior tumor percipiebatur, pectoreque tanta subito copia puris erupit, ut suffocaretur, tracheaquo pure tota repleta inveniretur. Post mortem tumorem hunc una cum utero, vagina exscindit ille diligentissimus naturæ speculator, & omnibus in situ positis ipsi constiterat, Tubam Falloppianam sinistram fuisse, quæ tumorem illum formaverat, atque ex hac tuba liquoris purulenti libras duodeviginti extraxerat. Undenam vero hic, dum nihil inflammationis in tota a-

namne-

namnesi habetur, dum corpus videtur a diathesi phlogistica prorsus alienum, undenam inquam pus in sacco Tubæ? undenam pus in pulmone tam copiosum, ut ruptis repagulis suis totum spatium aëreum pulmonis inundaret, suffocaretque foeminam? Undenam quatuor libræ puris, & continuus semestris anni spatium puris fluxus in puero, tumore, supra ossis ilei cristam enato, laborante, qui apertus quatuor libras veri puris emiserat, tusisque velut ministerio multo copiosior exierat, vid. omnino *Anton. Haen. in Ration. Medend. Vol. I. P. V. Cap. VIII. p. 109 & 122.*

Ex quibus omnibus intelligi potest in sanguine nostro aliquid inesse, quo materia a reliquis sanguinis principiis segregetur, viisque variis de corpore expellatur, sine intermedio sacco, quænam autem causæ sint eiusmodi materiæ in sanguine genitrices, eas in promptu esse iussit *Antonius Haenius*, locis sæpius laudatis, an vero illæ ingenti puris, quæ interdum excernitur, copiae, explicandæ sufficiant, definire non ausim, illud saltem crediderim, insignem illam puris copiam, quæ interdum evacuatur, in frequenti allato chylo quærendam esse, ab eoque augeri puris fluxum, consentientem habeo *Gerard. Swietenium in Comm. ad aphor. Boerhav. Tom. IV. p. 74.* Si „ inquit” magnum in pulmone ulcus fuerit & sputorum purulentorum magna copia excernatur,
idem

idem necessario contingere debet, & quidem tanto magis, quod omnis totius corporis sanguis per pulmonem transire debeat, & omnis chylus statim ac sanguini mistus fuerit, cum illo per vasa pulmonis feratur. Atque hæc sunt quæ de puris generatione dicenda habebam, multaque dubia & incerta superesse fateor. Optandum sane esset, ut plures de hac re periclitationes in posterum instituerentur, sic ratio deesset, cur in legitimo Puogeniæ iudicio Medici tantopere fluctuarent.



C A P U T IV.

De spuriae Diabetis causa proxima.

Absoluta nunc, abundeque ut opinor, demonstrata puris generatione, ultimo tandem loco spuriae Diabetis proximam causam indagare & perscrutari lubet. Hunc morbum Græci διαβήτης (*ἀπὸ τοῦ διαβαίνειν*) nomine insigniunt. Contingit enim haud raro, ut ingentem urinæ aqueæ, pallidæ, inodoræ, copiam, adsumti potus quantitatem multo superantem, homines excernant, hæcque ipsa est spuriae Diabetis definitio; vera sane multo
fre.

frequentior est, licet multi, quid inter veram ac spuriam diabetem interesset, ignorantes, duo hæc genera inter se confuderunt, & ex loco *Galen*, non satis bene intellecto, veram diabetem frequentissime occurrere opinati fuerunt, sed profecto illam adeo raro evenire dixit, ut testetur *bis* a se in vita visum fuisse *De locis affect. Lib. VI. Cap. 3.*

De spuriae Diabetis causa proxima non eodem modo censuerunt viri in arte clari, quæ multorum Pathologorum ingenia torfit, ve-
reor hinc, ne gravius onus, quam sustinere humeri valeant, in me fuscipiam, periculum tamen faciam, utrum aliam, & quidem verosimiliorem spuriae diabetis causam edere possim. Non opus est uniuscuiusque sententiarum & opinionum hic censum agere, pleræque enim sunt veri inanes, nec commemoratione dignæ.

Nonnulli & quidem plurimi hodiernorum medicorum spuriae diabetis causam proximam quærendam esse censent in *laxitate renum*, cum *sanguinis dissolutione* & in *aquam conversione*; & ab eadem causa, a qua *Boerhavius Diabetem chylosam* proficisci putaverat, repetunt. Ille enim *causa* „ inquit „ *eius censetur nimia laxitas fibrarum in arteriis, concurrens simul cum humoribus valde dilutis* in *Instit. Medic. §. 824.* suamque sententiam adstruunt & confirmant per ea, quæ diabetem antecedere observata sunt,

tum per eius symptomata, nec non per curandi rationem, experientia nixam & fundatam. Attamen nescio profecto, utrum hæc adeo vera sint, ut non possit alia, & quidem verosimilior causa excogitari, & an non plus aliquid quam sola renum laxitas cum aquosa sanguinis tenuitate ad spuriam Diabetem efficiendam requiratur? Equidem fateri cogor plurima antecedere, quæ talem renibus laxitatem, humoribus vero dissolutionem aquosam inducere valeant, ut tepidi potus aquosi nimii, diuretica diu usurpata, abscessus renum, Ischuria prægressa, paralyxis, turgida fæce aut Vermibus intestina, febres putridæ vel intermittentes, quæ omnia diabetem antecedere ex innumeris observationibus colligi potest, quas omnes hic in memoriam revocare possem, nisi vereretur ne lectoribus fastidium crearem. Fateri tandem haud erubesco, roborantia, adstringentia, mucilaginosæ in curando hoc malo præcipua esse remedia.

Attamen in ea versor opinione, proximam Diabetis spurie causam in *renum laxitate ac tenuitate sanguinis aquosa* reponi nullo modo posse. Certe gravia in promptu sunt argumenta, & observationes, quæ, ut mihi videtur, omnium clarissime docent, absque *renum laxitate ac tenuitate sanguinis aquosa* facillime explicari posse.

Nam

Nam 1o) neque incipere, neque desinere laxitas illa cum tenuitate tam cito potest, quam cito diabetes critica in variolis, aliisve morbis oriri ac subsistere solet, & profecto criticam aliquando esse Diabetem dubitari nequit, quum in eodem morbi genere mox obesce mox prodesse saluti videatur, uti observationes *A. Hollerii de morbis intern. schol. ad Cap. 53.* & *Borrichii in Act. Med. Hafn. Vol. III. Obs. 34. & Vol. V. Obs. 41.* invictis argumentis demonstrant.

Præterea in febribus exanthematicis, præsertim variolis, uti animadvertit *Storch. in Abhandl. von Blatterkrankh. p. 261.* & alii vid. *Annal. Wrat. Tent. I. a. 1717. Jul. Cl. 2. art. 2. §. 13. p. 35.* & *Morton. Pyretol. c. IX. p. 106.* frequentior esse videtur, ubi circa finem stadii tertii aut initia quarti oboritur. Attamen ut notavit vir egregius *Wenceslaus Trnka De Kr'zowitz* in pereximia sua dissertatione *de Diabete Part. I. C. VI. p. 98.* „quod si diutius perstet, inquit, perinde atque immoderata narium hæmorrhagia critica, ad mortem sternit viam. Neque profecto ullam video rationem, cur nonnulli medici hocce urinæ profluvium diabetem dici negent, licet omnes in se Diabetis spurix characteres habeat, uti ex *Nebelii* observatione in *Act. Nat. Curios. Vol. I. Obs. 141.* constat.

2) Vix putaverim, in diabete periodica laxitatem cum san-

guinis tenuitate causam esse posse, vel hancce saltem per periodos generari ac definere, id quod accideret, si his solis deberetur diabetes, & certe periodicam quandoque esse diabetem, licet rariorem, exempla *Bartholin. in Misc. Nat. Curios. Dec. I. Ann. II. Obs. 162.* & *Ol. Borrichii in Misc. Nat. Curios. l. l. Obs. 167.* indicant, præterea quæro quid illud fuerit quod *Mortonus* nobis narravit, & posteritati reliquit? Scilicet de infante, qui per biennium quoties dens aliquis eruptionem moliebatur, toties diabetem colliquativam produxit, sine ulla tamen tussi, vel alia aliqua pulmonum affectione in *Phtis. Lib. I. Histor. 3. p. m. 18.*

3.) In Diabete modo cum Ptyalismo, modo cum leucophlegmatia alternas tenente, licet sanguinis in aquam conversionem tuearis, alternam tamen renum cum vasculis glandularum salivarium in primo, cum vasculis cutis in altero casu, laxitatem, nemo, ut reor, dabit, cuius utpote nec ratio, nec necessitas intelligatur, & profecto diabetis & salivationis alternis invadentis casus haud vulgaris legitur apud *Allen. in Synops. Univers. Med. Pract. Cap. VII. Act. 9.* diabetis vero & leucophlegmatiae, vicissim invadentis, exemplum, cui volupe est, recognoscat ap. *Sauvages in Nosolog. Method. Tom. III. Part. II. Cl. I. Ord. III. Cap. XXV. n. 3.* obvium.

4.) Quomodo Cortex Peruvianus subitam sanguinis dissolutionem

tionem aut renum laxitatem producere potuerit in *Religiosa* quadam muliere quam *Scaramuccius* narrat in *Misc. Nat. Curios. Dec. II. Ann. IX. Obs. 204.* immunem redditam a febre usu pulveris *Peruviani*, adeo pati coepisse aquosi limpidique fluoris per urinarias vias profluvium, ut qualibet die libr. XL. attigerit, cum sensu caloris intensi in regione lumbari, cum siti molesta, virium defectione, imi ventris tensione, elevatione, & duritie, difficultate anhelitus, internoque dolore in actu mictionis porro, an cito transitura duntaxat laxitas cum aquosa sanguinis dissolutione locum habere potuerit qua corripī solebat, octogenarius *Dolai* in *Encyclop. Med. Lib. III. Cap. XIII. §. 10. p. 327.* qui cum quadras mensuræ vini opmacei bibisset, nocte subsequente tres mensuras urinæ minxit illi mihi explicent, qui renum laxitatem cum sanguinis dissolutione & in aquam conversione proximam Diabetis causam esse opinantur. Sed neque hoc contemnendum esse videtur quod legimus in *Act. Med. Berol. Dec. I. Vol. V. Art. II. p. 34.* de Chirurgo quodam 50 annos nato, qui ex usu *Cerevisiæ Fredersdorffianæ* diabetem noctu præsertim, cum siti viriumque iactura contraxerat, & cui primo mane remedio erat infusum herbæ *Theæ*, calidæ haustæ, unius alteriusve vasculi mensuræ.

5) Denique observatum est, tantam urinæ copiam excretam fuisse, quantam nec potus, nec totum corpus in aquam com-

mutatum exæquare potuit. Etiamne hic potus cum sanguine in aquam converso, tantam lotio materiem præbere potest? sed evertit hoc stupendus *G. Fonsæ*, Medici cubicularis intimi Pontificis *Innocentii X.* casus, qui a. 1637. Mense Martio curavit nobilem Monialem 27 annorum, quotidie urinæ tenuis, colore & substantia, aquæ similis, libras 200 mingentem, quæ si libras 200 etiam pependisset, cum ab omni abhorruerit potu, intra diem periisset. Mirabilius longe est, quod memoriæ prodidit *Michelottius* in *Epistola ad Amicum* de puella, quæ libras 50 ponderans in morbi acme libras 135. (i. e. libras 85 plus, quam tota ægra ponderis habebat) minxit. Quæ similiave argumenta, si renum laxitatem cum sanguinis in aquam conversione, tanquam proximam diabetis spurie causam non infringant, nescio quid aliam rem magis falsi convincere possit. Nonnulli tamen fuerunt, qui hanc causam reicerent, & spuriam diabetem non renum, sed *hepatis* morbum volunt, quam sententiam tuetur illustr. *Meadius* in *expos. Mech. Venen. Tentam. I. p. m. 30.* & cuius proximam causam in *Vitiata bilis miscela* quærendam esse censet. Illos autem potissimum, inquiens, impetit, qui dum debito corpus defraudant exercitio, spirituosorum interea liquorum potui nimium indulgent, sitimque ab illorum abusu exortam, nimia refrigerantium liquorum copia solent restringere. Ab intempestivo
 bn.

*huiusmodi calore præposteroque frigore, humoribus inducto, nativa salinæ partis in bile proportio imminuitur, nec jam sufficiunt adu-
nandis aquea & oleosa parte quæ necit inter utramque vincula, ex-
undat ergo aqueus latex, partiumque oleosarum miscelam respuit,
hinc pars eius maxima cum tenuiore olei parte renes rapitur, u-
rinosi ductus tam constanti fluidi impetu dilatantur. Interea pars si-
mul olei crassior atque viscidior in angustioribus hepatis ductibus coa-
gulata hæret, ibique in pinguem tenacemque cogitur substantiam.
Quam sententiam suam corroborare studuit variis argumentis,
licet haud felicius, quam alii. Diabetem cum ictero similem
censet. Ille vero a bile provenit, ergo & ille. & certe similem
esse, illorum cavaderum sectiones, qui diabete perierunt, ipsi
suaserunt. Nam in iis semper *steatomatosum* tumorem invenit,
facie non absimilem materiæ illi, quæ per album in ictero deponitur,
sed consistentia firmiorem. Deinde ex salis memorati in urina de-
fectu diabetici lotii dulcedinem, quæ ab aqua bilis, suo orbatae
sale, provenit, vir doctissimus approbat, simul urinam moschum
redolere observavit, sicuti urina interdum initio icteri violarum
odorem ipso iudice & interprete referre videtur, circa mortem
in diabete, fluxu urinæ imminuto, lotium amarum esse, illamque
amaritudinem a bile oriri scripsit. Tandem quam semel adop-
tavit huius doctrinæ disciplinam, eandem curandi ratione con-
fir-*

firmavit, quæ fiebat per salem fixum, qualis est in aqua calcis, vel Bristolensi, defectum salis biliosi suppletem, sicque miscellam aquæ cum oleo perficientem. Hæc sunt quæ novæ Meadii Theoriæ debentur, & certe adeo sibi hac opinione satisfacisse visus est, ut alibi haud prudenter scripserit *rem a se certissimis demonstratum esse indiciis* in ipsius *Monit. & Præc. Med. Sect. II. Cap. IX. p. 100.* Quod responsum sane non est Appollineum! Ita enim Theoriam suam condidit, ut nec ipsi *Wintringhamo* in *Not. & Obs. ad Monit. & Præc. Med. p. 145.* satis illa demonstrata visa sit, nec aliis etiam placuerit medicis

Enimuero quod spectat ad hepatis *steatomata*, ubinam quæsumquam demonstravit *Meadius*, an illa *steatomata* ad diabetis potius effectus, quam ad causam referri debeant? & profecto neque *Frid. Hoffmannus*, neque *Junckerus*, neque *Pawius* neque *Ballonius* excellentissimi in arte anatomici, umquam aliquid *steatomatosi* in diabeticorum cadaveribus observant, nequidem verbo meminere, imo vero *Rud. Jac. Camerarius* in quæstore quodam præter vesicam urinariam nonnullasque partes ei proximas, *reliquum corpus in partibus principalibus adhuc sic satis bene constitutum*, disertis verbis adnotavit vid. *Miscell. Nat. Curios. Cent. III. & IV. Obs. X. p. 20.* deinde *10. Herm. Furstena-vius* in suo ægro diabetico præter ventriculum valde extenuatum,

in-

intestina flatibus expansa, ingentemque lienem, *reliqua vero omnia in abdomine salva fuisse* narravit, inspiciatur omnino *Biichnerus in Miscell. Phys. Med. Mathem. A. 1730. Maj. Cl. IV. Art. IV. p. 1076. seqq.* deinde velim *Meadius* edidisset rationem, cur numquam in diabete etiam summo icterus sit deprehensus, si semper steatomatosum statuit hepar? lotium vero diabeticorum dulce a chylo aut lacte, quam a bilis aqua verisimilius oriri nonnulli opinantur. Neque etiam curandi ratio per salem fixum maioris est momenti, cum certe illa, aliis quoque remediis, sale illo carentibus, vel non adeo abundantibus, perfici queat, sed tandem, & quod maximi ponderis esse puto, illud est, quod hodie dubitare coeperint nonnulli, *utrum bili quidem facultas insit aquosis oleosa miscibilia reddendi.* Et profecto gravia sunt argumenta, ex quibus luce meridiana clarius apparet, aliud quid esse, quod oleosa & pingua subigit, & aquæ miscibile reddit. Possem nunc & adhuc alias adferre virorum eruditorum opiniones, attamen hæc, ut credo, sufficient.

Si quid ergo coniectura assequi liceat, fateri haud erubesco, me in ea cum aliis in nostra arte claris viris versari opinione, ad spuriam diabetem producendam nil aliud requiri, quam singularem in systemate urophoro, præsertim vero in renibus *stimulum*, qui non solum potulenta, humoresque animales ad renes copi-

osius solito alliciat, sed ipsum etiam humidum atmosphære in vasa cutis pulmonisque inhalantia continuo imbibitum, eo loci determinet. Certe stimuli illius ortum e renum fabrica præcipue repetendum esse videri, plurima phænomena indicant, & profecto ob incredibilem sæpe confluentis in vesicam lotii vim, fat elucet, quantus in diabete spuria præsto fit meiendi stimulus.

Nam *Periodica diabetes* absque huius generis stimulo explicari nullo modo potest. Extus applicatarum *cantharidum* efficacia in systema urinosum neminem latet, etenim acriorum medicamentorum & præsertim *cantharidum* usus s. externe, s. interne diabete excitasse innumera docent observata. Legi omnino debent *Miscell. Nat. Curios. Dec. II. A. VII. Obs. 86. & Act. Nat. Curios. Vol. X. Obs. 52.*

Vermes, abscessus, calculi renum, manifesto arguunt summum in iis stimulum. *Vermium* in renibus exemplum, in se ipso expertum, reliquit *Duretus* in *schol. ad Holler. Cap. LIII. p. 558.* fit quoque ait, *diabetes ab animalculo renibus incluso, ut expertus sum in me ipso, qui animalculum, quod millepedem referebat, in renibus conclusum habebam, sed Dei misericordia, excreto animalculo, quievit.* *Renum abscessuum* bina observata dedit *Ruischius*, unum extat in *Obs. Anat. Chir. 13.* alterum inveniri potest in eius *Dilucid. Valvulæ Cap. IV. Obs. 13.*

Pathemata animi præsertim *ira* *terrorque*, manifestum perortum in renibus stimulum, diabetem gignunt, illud profecto docent exempla *Trumphii in Commenc. Noric. Tom. X. A. 1740. Hebd. XII. Art. II. n. 2. p. 92.* qui duas foeminas viderat, unam ex *ira* Diabeti obnoxiam, alteram e *terrore* in illam lapsam, & *Trincavelli de Rat. Cur. Part. H. C. affect. Lib. X. Cap. II.* de sacerdote quadam e vehementibus animi perturbationibus in diabetem cum siti non sedanda incidisse.

Febres ac *Metastases* varias stimulum renibus inducere posse haud negaverim, febrem enim diabetem producere observationes multæ testantur, quas hic denuo enarrare necesse non erit, illud enim superiori loco præstavi, quando dixeram, frequentissime obtinere diabetem in febribus exanthematicis, præsertim variolis, hoc loco tamen non possum, quin simul adnotem, longe omnium frequentiore esse diabetem e febribus intermittentibus ortam, dum imperfectæ suppressæ sint, seu ubi diuturnæ, vel malignæ fuerint indolis. Mirabilem profecto hac de recasum dedit *Willis de Morb. Convuls. Cap. VIII. p. 508.* de hysterica quadam circa quantum graviditatis mensem insultibus asthmaticis, & crebra syncope, a frigore suscepto, correpta, usurpatis per quatuordecim dies remediis debitis, convaluisse quidem, at sesquimense post quotidie mane post levem rigorem, oscitationes, pandicu-

lationes cum crebris vomituritionibus fere quovis horæ minuto pallidam & aquosam urinam reddebat. Quod etiam luculentis sine apparet ex antea memorata *Scaramuccii* observatione. Videri porro merentur ea, quæ hac de re in medium attulerunt *Thom. Sydenham* in *Epist. I. Respons.* quæ extat in eius operib. p. m. 307. & *Paul. Senac. de Recond. Febr. Intermitt. tum Remit. natur. Lib. I. Cap. XVIII. §. 12.* *Metastasum* vel sanæ vel morbosæ materiæ exempla multa obvia sunt, ita a *materia arthritica*, renes afficiente, diabetem diuturnam ortam habet *Whytius. l. I. Cap. VI. §. 8. p. 189.* diabetem, a *Leucoriboea suppressa* enatam, describit *Ballonius* in *consult libr. Consult. 59.* & certe *perspirabilis materiæ* suppressionem diabetem aliquando generasse aliunde constat, vid. *Annal. Wrat. Teut. 35. A. 1726. Mart. Cl. II. §. 1. p. 291.*

Porro *Tumores intestinorum*, & *scabiem vesicæ* non alio modo explicari posse nullus erit, qui non videat. Quo autem modo, quave ratione tumores isti diabetem producere possint, perinde est, id certe extra dubitationis aleam positum esse videtur, morbum hunc ab id genus tumoribus productum fuisse. *Fæcis stercoreæ accumulatæ* exemplum nobis exponit *Frider. Hoffmann.* in *supplem. Medic. Ration. System. de Morb. infant. præcip. Cap. XI. Obs. II. Vermium intestinorum* observationem tradidit *Io.*

Herm.

Herm. Fürstenav. in Act. Nat. Curios. Vol. V. Obs. 61. quod vero attinet ad scabiem vesicæ, huius certe rei exemplum ad posterorū commemoravit I. P. Loricinus in Conf. & Observ. Med. Lib. IV. Cap. V. Obs. XIII. p. 393.

Præterea de quo antea mentionem feceram, *Allenii* exemplum feminae, alternis vicibus diabetem ac ptyalismum passæ, manifestissime, si quid video, id genus stimuli evincit, uti etiam, si ad curandi rationem respicias, eadem nihil aliud suadere videtur. Purgantia stimulum loco movent, opiata obtundunt, nervina eius in nervos efficaciam minuunt, dum plastica inviscant, reperiuntur tamen nonnulli, aquosæ huius tenuitatis fautores qui negant *magnæ esse efficaciam*. Interea tamen, ut reor, non prorsus inutilia hæc plastica censenda sunt, cum alia sint, quæ eorum usum postulant, licet nulla sanguinis in aquam conversio præsto sit. Nam profecto plastica illud acre, quod in renibus stimulo suo affluxum humorem illuc allicit, inviscant, & certe ad hoc efficiendum præstantissimæ sunt efficaciam, utpote lentorem suum ne ipsa quidem multiplici circulationis actione tam facile amittunt, utque sic integris viribus acre illud involvere possint, deinde nutriunt etiam corpus a diabete extenuatum, & quascumque curandi methodos, apud scriptores obvias, si volupe erit, legas & relegas, ubique invenies summopere plastica il-

la laudata esse. Unum exemplum adjicere lubet a *Grummio in Compend med. Chym. p. 255.* traditum, de ægro, ex abusu potus Theæ diabetico, mucilaginosus illis in sanitatem restituto.

Posito iam hoc stimulo, crediderim nihil opus esse prævia illa sanguinis in aquam dissolutione & conversione. Nam ubi sanguis copiosior ad renes ob stimulum affluerit, eodem prorsus modo uberiores aquæ copiam dabit, quemadmodum eandem in statu sano parciores præbet. Nam eius est indolis ac naturæ, ut omne in unius speciei humorem animale seu sanum, seu morbosum, in dato aliquo corporis loco, in quo stimulus ad id efficiendum reperitur, converti possit. Ita in magnis ulceribus in pus, ichorem, saniem abit, in Ptyalismo mercuriali omnem cruorem in mucum & salivam, si voles, converteris; in tumoribus lymphaticis apertis, nisi percurentur, quod tamen raræ felicitatis esse nonnulli scribunt, omnis non sanguis sensim forma feri ac lymphæ ex apertura vix stillaret. Hinc uti absurdum foret, seminalis profluvii causam proximam in laxitate osculorum vesicularum seminalium cum sanguinis prævia in semen degeneratione, vel ptyalismis in laxitate ductuum glandularumque salivalium cum sanguinis prævia in salivam ac mucum solutione, statuere, cum humores isti in organis suis a copiosius illuc affluente sanguine tanta copia secernantur, ita nihil in di-

abe.

abete opus est prævia illa sanguinis in aquam dissolutione, ut quæ sine antegressa univerforum corporis vasorum laxitate evenire queat. Certe non est inanis quæstio, cur potius diabetes quam hydrops, quam diarrhæa, quam ptyalismus existat, quando eadem ubique vasorum laxitas est, eadem sanguinis aquosi tenuitas.

Humidum atmosphæræ in spuria diabete per inhalantia pulmonum ac præsertim cutis vasa resorberi, excessumque illum urinae supra potulenta huic ipsi resorpto humori tribuendum esse, non dubitaverim. Cum enim pondus excreti lotii maius est pondere & potus assumti, & totius corporis, cum excessus huius ratio in corpore ipso non sit, extra ipsum corpus sit oportet. Vero autem simillimum est, excessus dicti rationem in humido aëreo, intra corpus resorpto, contineri, & profecto gravibus argumentis resorptio illa demonstrari potest vid. omnino *Haller. in Elem. Physiol. Tom. V. Lib. XII. §. 2, 20. p. 90.* Adhæc usus rerum magister docet in ascite nonnunquam intra datum tempus plus aquarum brevi post paracenthesin denuo colligi, quam fuerat ingestum potulenti, in hoc casu certe infriktum abdomini oleum ascitem curasse legimus in *F. G. Medicî Samml. von Beob. aus der Arzn. 2. Band. 4. Abth. §. 2. p. 169. seqq.* Nonne in hoc exemplo obturatis oleo cutis

poris, humoreque aëreo in abdomen non penetrante, asciteque desinente, humidum aëreum tamquam causa prius fuit, quam res effecta causæ? Nonne sola fascia in ægro quodam de quo *Whytius* narrat in libro *de morb. Hyster. & Hypochondr.* p. 385. abdomen lumbosque arcte ambiens, compressis osculis cutaneis inhalantibus, ne quidquam ex aëre humidi in eadem se insinuare posset, effecit, ut diabetes desierit? quæ certe exempla & argumenta suspicionem non abs re inducunt, omnem interdum lottii in diabete spuria excretionem a solo hoc atmosphærico humore deducendam esse, citra tamen ullam corporis ægri colliquationem, cum diabeticus ap. *Dolæum* excretis ultra omnium ingestorum pondus *Libris* 370, post triginta dies morbi non nisi *libras* 6. de pristino corporis pondere amiserit in *Encyclop. med. Lib. III. Cap. XIII. §. 10. p. 327. seqq.* Atque hæc quidem.

H A C T E N U S.





